

Gd
41
90

www.libriol.com.cn

Göthe - De Fœtilibus Dionysii Periegetae - 1875.


Gd 41,90.
www.libtool.com.cn



Harvard College Library

FROM

Francis H. Forbes



Gd 41.90
www.libtool.com.cn



Harvard College Library

FROM

Francis H. Fabes

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

DE
www.libtool.com.cn
FONTIBUS DIONYSII PERIEGETAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AUCTORITATE ET CONSENSU
IN
ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT
ALFREDUS GÖTHE
SONDERSHUSANUS.

G Ö T T I N G E N,
Vandenhoek & Ruprecht.
MDCCCLXXV.

Gd 41.90

www.libtool.com.cn

HARVARD COLLEGE LIBRARY

GIFT OF

FREDERIC L. POHNS

APR 26, 1921

www.libtool.com.cn

CURTIO WACHSMUTH

S.

www.libtool.com.cn

HARVARD COLLEGE LIBRARY
GIFT OF
FRANCIS H. FOBES
AUG 30, 1921

De aetate Dionysii periegetae inter recentiores accuratissime egit Carolus Mueller ¹⁾, qui anno fere nonagesimo post Christum natum poëtam carmen composuisse demonstravit. In iis quae exposuit acquiescendum esse puto nec causas, quas attulit, nunc repetere opus est. Quod statuit ille, Dionysium in Libyssa, vico Bithyno, natum esse refutatur codice Chisiano R. IV. 20, quo praeter alia etiam vita periegetae continetur, quam nuper primum in lucem edidit Fr. Ruehl ²⁾. Inde enim vel ex fonte admodum simili et Eustathius et scholiastae, a quibus poëta *Αἰβυς* vocatur, sua hausisse videntur. Accuratiore vero traduntur in codice illo, in quo est: *Διονύσιος ὁ Περιηγητὴς γένει Ἀλεξανδρεὺς ἐκ πολιτείας ἐνδόξου*, scholiastae igitur satis habuerunt, patriam poëtae in universum indicasse, nam Stephano Byzantio teste (s. v. *Ἀλεξ.*) *Ἀλεξάνδρεια ἢ Αἰγυπτία ἦτοι Αἰβύσσα* nominatur. Et Alexandriae poëtam natum esse, aliquem in modum ipso carmine confirmatur. Nam inde a versu 225 usque ad 268 de Aegypti incolis et regionibus non alium ille consuluisse, sed quae ipse in promptu habuit protulisse videtur. Quae quidem satis sunt levia, quum de mediterraneis ea tantum indicaverit, quae poëtarum laudibus illustrata esse meminit, velut Thebas illas nobilissimas ab Homero celebratas et Memnonis colossus quotidiano solis ortu sonos edentem. Simulatque autem ad maritimam oram periegeta pervenit, locorum multo est peritior: summis imprimis laudibus effert Alexandriae Serapi-

¹⁾ Geogr. Graec. Min. II. p. XVIII.

²⁾ Rhein. Mus. f. Philol. N. F. XXIX. p. 81.

Gd 41.90

www.libtool.com.cn



Harvard College Library

FROM

Francis H. Forbes

www.libtool.com.cn

dice auctorum libri quinti Posidonium affert, qui *περίπλουν* aut *περιήγησιν* scripsit. Haud parvi momenti sunt ea quae Suidas in inscriptione servavit *καὶ τῶν κατ' αὐτόν*, nam a Posidonio, in libro non solum de oceani natura, ambitu, phaenomenis fusius actum esse, sed mathematicorum et physicorum potissimum ratione adhibita geographiam tractatam esse constat, quum oceano, ut solent, duce uteretur in terris describendis. Testimonio sunt et fragmenta nobis servata et similitudo clarissimi Pythaeae libri. Inscribebatur enim *τὰ περὶ τοῦ ὠκεανοῦ πεπραγματευμένα*, scholiasta ad Apoll. Rhod. 4,761 eundem *περίοδον γῆς* appellat, in quo idem fere atque in Posidonii libro expositum fuisse inde colligitur, quod de poli natura et altitudine, de Britanniae situ et magnitudine copiosius disseruit ¹⁾. Posidonius autem in libro illo formam terrae fundae similem esse iudicaverat (fr. 69) ²⁾, ita ut media pars a meridie ad septentriones versus latior, angustior vero esset figurae orientalis et occidentalis pars, ita tamen, ut occidentali orientalis esset latior. Quum hic terrae formam globosam animo concepisset, imago existit duorum conorum, quorum alter alteri est impositus et hic in acutum fere desinit, ille est obtusus. Discrepare vides Posidonium ab Eratosthene et Strabone, qui terrae formam chlamydi similem rati, orientalem ejus partem a septentrionali tantum latere coarctatum esse sumunt (Strab. p. 519) nec tamen a meridionali, quum Indiae extremas partes et Meroën in eodem parallelo sitas esse dicant (Strab. p. 76). Accedit quod Posidonius, Ephorum secutus, orientalis terrae partem ad septentriones valde promovet, ut India opposita sit Galliae (fr. 87). Ceterum Homeri et Eratosthenis exemplo terram putavit magnam insulam, mari circumfusam.

Jam quaeritur, quae ratio inter Posidonii et Dionysii sententiam intercedat. Apud hunc quoque *οἰκουμένην* invenitur *σφενδονοειδής*, sed etiam orientalis partis conus ut al-

¹⁾ Muelenh. pp. 234 et 375.

²⁾ C. Mueller, *Fragm. Histor. Graec.* III. p. 245.

ter ille acutus fingitur (vv. 6, 7, 621). Et hoc quidem quam maxime periegetae est proprium, ut formas geometricas, quas vocant anomalas, anxie devitet, contra summo amore amplexus sit e paribus aut parallelis lateribus constantes, in quas continentium fines haud raro cum vi aliqua coëgit, fortasse quod facilius eas memoria teneri posse ratus est. Qua re hoc quoque loco conum obtusum repudiavit acutumque substituit, quamquam a Posidonii placitis sese liberare nequivit. Versu enim 638 Taurum montem Asiam in duas partes aequas secare narrat, quarum alteram ad meridiem vergentem (887) figurae comparat quatuor inaequalibus lateribus, quae Nilo, Tauro, Indico oceano, Rubro mari formantur. Si Dionysius sibi constitisset, coni formam dimidiatam nihil nisi triangulum efficere dicere poterat, cogitavit autem de Posidonii cono retuso, unde figuram quadriangulam enasci in aperto est, quam parallelogrammati similem esse statuere debebat, si secutus esset Eratosthenem. Deinde consensui omnium repugnat periegeta, qui Europam Asia longius patere contendit (v. 627). Numerorum rationem minime curat poëta, ut quibus Musae sint infestae, itaque egregie aspectu fallitur, acutum Posidonii conum longiorem habens quam praecisum. Quomodo per Eratosthenem ad hunc errorem adduci potuerit, prorsus non intelligitur. Denique eodem illo Dionysii studio, terrarum ambitus aequis lineis describendi, videtur factum esse, ut latera ejus coni, qui formatur Europae et Libyae continentibus inter se conjunctis et in Iberia se secare et aequales esse animo finxerit (v. 277). Quo fit, ut Nilus et Tanais eidem circulo meridiano tribuantur, nam basis coni nititur in Asiae finibus, qui fluminibus illis constituuntur. Hoc Eratostheni non placuisse, cui Tanais Nilo multo magis in orientem versus situs est, inter omnes constat, ac ne Posidonius quidem, a quo nihil de hac re compertum habemus, sic statuuisse videtur, ut recte censet Muellenhoffius (p. 358), sed ex ipsius poëtae ingenio et indole haec profecta esse puto.

Versibus 26—42 mare externum, inde a versu 69 inter-

num describitur. Mire cum iis quae profert Dionysius Anonymi geographia compendiaria ¹⁾ congruit, habes enim v. 26—42 = §. 45; v. 69—111 = §. 48, 10—§ 50, 36. Satis est pauca adscripsisse.

Dion. v. 69. Πόντος μὲν πρώτιστος Ἰβηρικὸς ἀρχομένοισιν ἐγκέχνηται, — —

74. Τὸν δὲ μετεκδέχεται Γαλάτης ῥόος, ἔνθα δὲ γαῖα Μασσαλίη τετάνυσται, ἐπίστροφον ὄριον ἔχουσα. Ἐξείης δ' ἐπὶ τοῖσι Λιγυστιᾶς ἔλκεται ἄλλη.

82. Τῇ δ' ἐπὶ Σαρδόنيος μορμύρεται ἔνδοθι πόντος· τὸν δὲ μετ' ὠρέεται Τυρσηνίδος οἶδμα θαλάσσης πρὸς νότον· αὐτὰρ ἔπειτα πρὸς αὐγὰς ἡελίοιο κυρτὸς ἐπιστρέφεται Σικελὸς ῥόος· αὐτὰρ ἔνερθεν ἐγκέχνηται καὶ μέχρι πολυκλύστοιο Παχύνου καὶ Κρήσσης ἄκρης — —

Anonym. §. 49. Τὸ μὲν γὰρ πρῶτον ἀπὸ τῆς δύσεως Ἰβηρικὸν λέγεται, μετ' ἐκεῖνο δὲ ἐστὶν ὁ κατὰ Μασσαλίαν καὶ Ναρβῶνα Γαλατικὸς κόλπος. Εἶτα κατὰ μὲν τὴν ἀρχὴν τῆς νῦν Ἰταλίας Λιγυστικὸν ἐκδέχεται πέλαγος, μετὰ δὲ τοῦτο τὸ Σαρδῶνον, ἐξῆς δὲ τούτῳ τὸ Τυρσηνικόν, εἶτα τὸ Σικελικόν· φθάνει δὲ τοῦτο ἄχρι Παχύνου ἐπὶ μεσημβρίαν, καὶ τῶν ἄκρων τῆς Κρήτης — —

Anonymus e diversis fontibus excerpta conjunxit nec singula inter se conciliare studuit, qui summam Ponti latitudinem 2400 stadiorum esse doceret (§. 41) et paulo post (§. 51), qua latera proxime accedunt, centum stadia adderet. Quomodo secutus sit auctores cognoscitur e §§. 51—53, ubi Strabonem (pp. 124 et 125) ad verbum fere transcripsit. Ille post Ptolemaeum fuisse videtur nec e Dionysio locos modo citatos desumpsit, quum id quod illi proprium esse postea videbimus, hic omitteret nec e Strabone, quod Muellero placuit (ad §. 49), nam nonnulla habet, quae apud hunc desunt ac fieri vix poterat, ut duo hujus narrationem

¹⁾ Mueller, Geogr. Graec. Min. II. p. 506.

uberiorem prorsus eodem modo in epitomen cogerent. Itaque Dionysium et Anonymum ex eodem fonte hausisse dicendum est.

Atque ab utroque tria nomina septentrionalis maris afferuntur: *Κρόνιος*, *Πεπηγώς*, *Νεκρὸς πόντος*, quae ab Eratosthene tradita esse Muellenhoffius (p. 410 sqq.) demonstravit. Num ex eodem Dionysium et Anonymum sua petivisse sumamus? Et a Tacito (Agric. 10) et ab Argonauticorum auctore, quae Orphei feruntur, ita Mortui maris nomen explicatur (v. 1107), ut ne ventis quidem mare concitari dicant, cujus interpretationis Eratosthenes est auctor. Quam nec Dionysius nec Anonymus in fonte invenisse videntur, periegeta suo Marte tentavit, ait enim solem tenebricosis nubibus coopertum tardius super mare istud lucere: quippe a sole omnia gigni ac viva servari rationatus est itaque Mortui nomen mare duxisse opinabatur, quoniam a sole non collustraretur. Quae eo absurdius sunt excogitata, quum infra v. 582 poëta de eodem mari dicat:

ἔνθα μὲν, ἡελίοιο βεβηκότος ἐς πόλον ἄρκτων,
ἤμαθ' ὁμοῦ καὶ νύκτας ἀειφανὲς ἐκκέχνηται πῦρ.

Sed paulo post res ei non melius processit. Versu enim 87 auctor illius mare Siculum usque ad Pachynum et Cretica promontoria pertinere dixerat nec ipse nomina notaverat, ut ex Anonymo 49, 23 videre licet, Dionysius vero illa addidit et perverse Criumetopon cum Gortyne et Phaesto oppidis composuit. Sequitur ex ipso Eratosthene tria illa nomina non petita esse, quod quidem comprobatur interni maris enarratione, quae cum altera illa arcte cohaereat. Nam Eratosthenem, quidquid inter ostium oceani et Sardiniam est, Sardoum mare appellasse Plinius 3, 75 testatur.

Anonymus tamquam partem Cronici maris *Σκυθικὸν ὠκεανόν* commemorat, quo eodem nomine Dionysius (v. 587) mare Indico oceano contiguum appellat. Necesse est paulo accuratius illam carminis partem pervestigemus. Versibus 554—611 Dionysius insulas magni oceani enumerat, ab Erythia ad columnas septentriones versus profectus usque ad

Persici maris Icarum. Versus 561—63 interpretes vehementer exercuerunt. Cassiterides enim insulae et Strabonis et Ptolemaei sententia objacent Nerio, promontorio Iberiae septentrionali. Qua re Muellerus a perieg eta *Νέριον* et *Ἰερόν* inter se confusa esse, Ukertus ¹⁾ autem Oestrymnides intelligendas esse censet. Hae enim oppositae sunt Galliae promontorio ad septentriones vergenti, quam Pytheas et Eratosthenes terrae partem maxime occidentalem habuerunt. Inde periegetam ad Sacrum promontorium eas detraxisse. Sed haec multo facilius poëtae dicendi usu et ratione explicantur. Nam, ut jam Eustathius ad v. 506 adnotavit, Dionysius *ὑπέρ* de regionibus uti solet ad meridiem spectantibus (cf. v. 821), ergo de septentrionalibus *ὑπό* praepositione. Situs vero locorum saepissime ille satis negligenter ac libidine definit, cui non tam curae est minuta diligentia quam apta ac polita rerum conjunctio. Itaque et praepositionum illius est usus multo liberior (cf. *ἐπὶ τοῖσι* v. 375; 1140) et vocularum *ἐνθα*, *ἧχι*, *κεῖθεν* (cf. C. M. ad v. 311), quo fit, ut quae longe distant, haud raro arcte conjungantur. Quum praeterea auctor Dionysii situm illarum insularum non subtilius definivisse videatur, haec omnia facilem habent explicationem. De Stannariis enim quae proposuerat Posidonius, Strabo (p. 147) nobis servavit ac ne verborum quidem similitudo fortuita videtur esse, ait enim Posidonius: *γεννᾶσθαι (κατ'ἴτερον) ἐν τοῖς ὑπὲρ τοὺς Ἀνσιτανούς βαρβάρους καὶ ἐν ταῖς Καττιπερίαι νήσοις*, Dionysius v. 563: *τόθεν κασσιτέροιο γενέσθην*. Nec dubitari potest, quin a Strabone ejusdem Posidonii sententia proferatur, quum dicat, Sacrum promontorium terrae punctum esse maxime occiduum, quod etiam Muellero (fr. 81) probatum esse video. Dionysio (v. 562) idem placuit ac Posidonio. Causa vero, cur insulas illas maxime occidentales *Ἑσπερίδας* et non *Κασσιτερίδας* poëta appellaverit, in propatulo est, considerantibus nobis, vocem illam in versum cogi non potuisse nomenque ipsum satis fuisse indicatum *κασσιτέροιο*

¹⁾ Geogr. II, 1, 476, A. 15.

additamento) lib. De Sammarum insulis ita inter se differunt Dionysius et Posidonius (Strab. p. 198), ut hic plurimum ille unius tantum inferat mentionem, ne tamen de alio fonte cogitemus impedimur narratione ab utroque de illis insulis relata. Periegeta brevissimus paulo est obscurior, cujus verbis (v. 570)

— — γυναῖκες

ἀνδρῶν ἀντιπέρηθεν ἀγανῶν Σαμιτῶν,

si addideris Posidonii οὐκ ἐπιβαίνειν δὲ ἄνδρα τῆς νήσου, τὰς δὲ γυναῖκας αἰτὰς πλεούσας κοινοῦν τοῖς ἀνδράσι καὶ πάλιν ἐπανέναι, omnia erunt perspicua. Ceterum haud raro licentius de insularum numero egerunt, ii qui versibus geographiam tractaverunt nec, ut opinor, ad Senam vicinam, ut Muell. vult, confugere opus est. — Quae deinde de Britannia et Thule poeta exposuit prorsus ad Eratosthenis rationem accedunt, qui Pythae sententiam in universum probavit. Inter Eratosthenicae doctrinae testes imprimis habendus est Cleomedes (cycl. theor. p. 38), quem non ipsa geographica illius inspexisse, sed quae statuit Eratosthenes apud Posidonium, quo se praecipue auctore usum esse dicit, invenisse inventaque recepisse Muellenh. (p. 269) mihi persuasit. Nam in Eratosthenis libris Posidonium studiose versatum fuisse, nemo est qui neget. Quare non ita audacter egisse mihi videor, si Dionysium ex Posidonio haec quoque hausisse statuam, quum proxima etiam ex eodem fonte fluxisse manifestum sit. Taprobane enim sub Cancrī circulo posita debebat probata esse Posidonio Indiam ad septentriones tantum promoventi. Quae de portentis maris Erythraei narrantur certe non repugnant ejus ingenio ac naturae, qui in Coelesyria serpentem visum fuisse scribit (fr. 60) jugeri longitudine et tanta crassitudine, ut equites ab utraque parte adsistentes alter alterum videre non posset. Nec non veri simile est, per eundem periegetam

1) Comprobatur Scheppigii sententia, qui Posidonii fragmentum 49 libro περὶ ὤκεανου accensendum esse contendit, nam Dionysium historiis illius non usum esse per se patet.

adductum esse, ut duobus tantum ventis distingueret regionum situs (557), quem poetarum morem esse Posidonius affirmaverat (fr. 101). Quae quum ita sint, hunc Dionysii auctorem in versibus 554—611 judicare non dubitandum esse puto.

Totum mare boreale et a Mela (1,2) et a Plinio (6,33) Scythicum appellatur, quod nomen parti tantum Cronici maris orientali Anonymus praeter consuetudinem imposuit. In eadem sententia periegeta est, qui antea attulit tria illa nomina borealis maris et deinde (v.587) cum orientali oceano Scythicum cohaerere sumpsit. Ex quo periegetae et Anonymi consensu efficitur, marium illam enarrationem et versus 554—611 aliqua ratione inter se conjuncta esse. Atqui in hac carminis parte Posidonium Dionysii auctorem esse demonstravimus, ergo ex eodem fonte quae exposuit poëta versibus 26—42 et 69—111 deprompta esse, veri simillimum esse puto. Versu 102 e Timosthenis praeceptis regionum situs ventis definivit poëta, quod quidem apud Posidonium legisse videtur, qui Timosthenis rationem diserte laudavit (fr. 101).

In versibus, qui antecedunt (43—55), quatuor maximi sinus oceani recensentur, quam Eratosthenicam disciplinam etiam Posidonium amplexum esse pro certo affirmari potest. Nam in illo errore, mare Caspium cum oceano cohaerere, usque ad Ptolemaeum omnes consentiunt; certe hoc patet, Posidonium Caspium mare maxime ad septentriones situm esse judicasse, quippe qui isthmum inter Maeotin et oceanum aequum esse arbitraretur isthmo inter Maeotin et Caspium mare, utrique 1500 stadia tribuens ¹⁾ (fr. 89). Quod ad continentium partitionem attinet, Posidonium terram in

¹⁾ Scheppegius p. 51 Posidonium mare Caspium sinum oceani habuisse inde colligere vult, quod Posidonius Asiam ab Europa isthmo inter mare Caspium et Pontum Euxinum dirimi statuerit. Hanc Posidonium probasse divisionem ex eo effici, quod Aethiopes Libyos opposuisset Indis Asiaticis, quod facere non potuisset, si Nilum Libyae et Asiae terminum statuens, Aethiopes partim in Asia partim in Libya habitare censuisset. Sed Indi illi Asiatici sunt et ipsi Aethio-

zonas divisisse constat, quamquam illam usitatom divisionem secundum flumina et isthmos eum non prorsus refutasse scimus (fr. 68,7). Quod si versu 892 Dionysius, ut vidimus, Posidonii sententiam recepit, continentium fines Nilum et Tanaim hunc duxisse elucet, quamquam in re tam dubia, quae ne magni quidem est momenti, ad certum eventum vix perveniri potest.

Paulo aliter quam priores sunt comparatae res, quae a Dionysio versibus 112—29 produntur. Enumerantur enim maria ab Aegypto orientem versus usque ad Lyciam pertinentia, Pharium pelagus, Sidonium, Issicus sinus, cujus qualis sit aquarum meatus litorisque formatio versibus 123—26 poeta adumbrat, quod quidem antea plane omisit. Accedit, ut Aegyptio et Phoenicio maribus, quae vulgo vocantur, Pharium et Sidonium substituerit. Haec ex alio fonte fluxisse, quam ea quae antecedunt, colligere licet ex Anon. §. 50. Eodem enim modo quo in Dionysii versu 109:

ἐκ δὲ ῥόων Σικελῶν Κρήτης ἀναπέπταται οἶσμα
legitur apud illum μετὰ δὲ τὸ Σικελικὸν πέλαγος ἐκδέχεται τὸ
Κρητικόν, tum vero pergit, eundem fontem secutus, ἧ σινά-
πτει τὸ Αἰγύπτιον, μεθ' ὃ τὸ Φοινίκιον. Dionysius in v.
130 et Anonymus 50,35 iterum consentiunt, quamvis hic
negligentius excerpserit, quum initium Aegaei maris jam a
Chelidoniis insulis duceret, Dionysius autem rectius a Pata-
rorum promontorio. Ac periegeta ipse indicat fontem, quem
secutus est, qui dicat (v. 115): ναῦται κιχλήσκουσιν. Quum
per illa maria Graeci cum orientis incolis quam maximum
commercium haberent, haud raros fuisse περίπλους aut
περὶ λιμένων libros nemo est qui neget. Phari et Sidonii
maris nomina propria videntur esse nautarum sermoni, qui
a Pharo ejusque turri nocturnis ignibus navium cursum
regente et a Sidone urbe copiosissimis mercaturis florente

pes, nam Strabone teste p. 35 totam oram oceani meridionalem Aethiopes tenuerunt, sinu Arabico in duas partes dirempti. Posidonius corporis robore Indicos Libycis Aethiopibus praestare censet, quod non ignorasse Homerum sic eos dividentem (O. α, 24):

οἱ μὲν δυσομένου Ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος.

maribus nomina indiderunt. Nec minus fluctuum et litoris mentione, cujus modo memini, periplus proditur. Dionysius Issicum sinum usque ad Chelidonias insulas pertinere contendit, quod negligentia tantum poëtae factum esse inde efficitur, quod ceteris locis, ubi eundem librum consuluit, rem recte exposuit, qui versu 864 Issicum sinum Cilicum solas gentes praetervehi statuatur et Pamphyliorum sinum v. 508 non ignoret. Sed de his locis et de peripli illius ratione et natura melius infra disputabitur.

In Ponti deinde descriptione non multum recedit peri-geeta ab iis quae vulgo traduntur. Ponti cum arcu Scythico comparationem ab Eratosthene primum propositam esse jure statuit Gardthausenius ¹⁾, qui etiam 2500 stadiorum intervallum, quod inter Carambim et Criumetopon intercedere Strabo p. 125 ostendit, ad eundem referendum esse censet ²⁾. Hic sane numerus a veritate abhorret, quum promontoria illa 1540 stadia inter se distent, quibuscum bene componi potest Dionysii de intervallo sententia (v. 155). Dolendum est, quod de Posidonii Ponti descriptione ad nos nihil fere pervenit, a quo regiones illas, ut a rerum Cimbricarum Teutonicarumque scriptore, uberius tractatas esse satis constat. Saepius nimios Eratosthenis numeros ad minorem modum ille redegit, qua re in hac Ponti quoque ut in tota fere reliqua marium descriptione eum Dionysii auctorem fuisse, veri simillimum esse puto. Unius certe fragmenti vestigia (fr. 75), quod nobis Strabo servavit, ubi Posidonius Bosporum Cimmerium a Cimmeriis denominatum fuisse declarat, apud Dionysium agnoscuntur dicentem:

— *Κιμμερίον διὰ Βοσπόρου, ᾧ ἔτι πολλοὶ*

Κιμμέριοι καίουσιν — —

Temere dein poeta ipse addit ὑπὸ ψυχρῷ ποδὶ Ταύρου, quum Taurus mons quin in Chersoneso Taurica inesset, fieri non posse opinaretur.

¹⁾ v. Gardthausen, Die geograph. Quellen Ammians pp. 541 et 545.

²⁾ Contra eos qui apud Strabonem διαχλίων in χιλίων mutare voluerunt, monendum est, jam Anonymum (C. M. II. p. 509) ex illo eundem numerum afferre.

Tum periegeta transit ad Libyam describendam. Auctor illius in versibus 174—218 Strabo est, qui II, 5,33 generatim ac summatim de hac terra exposuit, dein autem XVII. c. 3 singula diligentius et accuratius persecutus est. Ex duabus his partibus inter se cunctis et excerptis Dionysius sua composuit. Libyae enim figuram ad trapezii speciem accedentem terraeque cum pantharina pelle comparisonem ut Dionysius ita Strabo iisdem interdum verbis expressit.

Dion. 175 — — *τραπέζιον εἶδος ὁμοίον,*

181 *παρδαλήν δέ μιν ἄνδρες ἐπικλείουσιν ὁμοίην·
ἥ γὰρ διψηρή τε καὶ αὐχμήσσσα τέτυκται,
τῇ καὶ τῇ κτανῇσι κατὰστικτος φολίδεσσιν*

Strab. II. c. 5. — *καὶ ποιοῦσαν τραπέζιον πῶς τὸ σχῆμα,
ἔστι δὲ — εἰκνῦία παρδαλῇ· κατὰστικτος
γὰρ ἔστιν οἰκήσεσι περιεχομέναις ἀνδρῶν
καὶ ἐρῆμῳ γῇ· —*

In gentibus enumerandis Strabo II, 5,33 a meridionali parte ad septentriones progressus est, in libro XVII ordinem permutavit. Idem Dionysius fecit, ut, si priorem Strabonis partem cum carmine hujus comparare velis, a fine § 33 proficiscendum tibi sit, quod idem illum satis leviter fecisse apparebit.

Dion. 184 *ἀλλ' ἦτοι πνύματ' ἐπὶ γλωχίνα νέμονται
ἀγχοῦ στηλάων Μαυρουσίδος ἔθνεα γαίης.*

Strab. II. c. 5 *ἔσταιτο δ' εἰσὶ Μαυρούσιοι — [μεχρὶ] Μαυρουσίων καὶ τῶν Ἡρακλείων στηλῶν*

Dion. 186 *Τοῖσι δ' ἐπὶ Νομάδων παρὰπέπταται ἄσπετα φύλα,
ἐνθά Μασαυσίλοι τε καὶ ἀγρόνομοι Μασυλῆς
βόσκονται σὺν παισὶν ἀν' ἡπειρόν τε καὶ ὕλην,
μαίόμενοι βιότοιο κακῇ καὶ ἀεικέα θήρην.*

Οὐ γὰρ γειομόριοι τομὴν ἐδάησαν ἀρότρον, —

Strab. II. c. 5 *συνάπτουσι δ' οἱ Νομάδες αὐτῇ (Καρχηδονίᾳ)
τούτων δὲ τοὺς γνωριμωτάτους τοὺς μὲν Μασυλεῖς, τοῖς δὲ Μασαυσίλοις προσαγορεύουσιν
— οὐκ ἀπεικὸς δὲ καὶ Νομάδας λεχθῆναι τινας
αὐτῶν, οὐ δυναμένους γεωργεῖν διὰ τὸ πλήθος
τῶν θηρίων — —*

Quae deinceps versibus 195—210 exponuntur, Carthago a Phoenicibus condita, Syrtidum ἀμπώτειες et πλημμυρίδες, urbs Neapolis inter utramque Syrtim sita, Lotophagorum prope minorem Syrtim sedes, Nasamonum domicilia servato ordine e Strab. XVII, 3,15—20 excerpta sunt. Nasamonum cladem ad Domitiani tempora pertinentem ab ipso poeta additam esse, jam Muellerus ad v. 209 recte suspicatus est ¹⁾. Inde a versu 211 ad priorem partem poeta iterum se convertit, in transitu negligenter versatus. Ex gentibus enim, quas supra Cyrenen habitare Strabo ostendit, Psyllis, Gaetulis, Asbystis, Byzaciis, solos Asbystos affert, quos μεσηπείρους appellat, quum e Strabonis sententia supra Cyrenen sedes habeant. Hic autem simul ad occidentem eos magnopere pertinere declarat, quod minime curat poeta. Ceterum Strabonis vestigia pressit. Εὐίππος Κυρήνη apud illum p. 837 obviam est, quam quomodo Amyclaeorum coloniam appellaverit periegeta, videas e Strabonis verbis: Ἔστι δὲ Θηραίων κτίσμα, Λακωνικῆς νήσου, nam Lacedaemonii et Amyclaei ab illo plerumque consulto inter se confunduntur (cf. v. 377). Dein autem Strabonem II, 5,33 exscripsit. Dionysius quomodo provincia sua functus sit, optime ex hisce colligi potest. Gaetulos suo loco movit, apud Strabonem enim legitur: Νιγρίτας, τοὺς δὲ ὑπὸ τούτοις Γαϊτούλους, τοὺς δὲ τῆς θαλάττης ἐγγυὲς ἢ καὶ ἀπτομένους αὐτῆς πρὸς Αἰγύπτῳ Μαμαρίδας, apud Dionysium autem, qui e contraria parte procedit:

— Μαμαρίδαι προνεενκότες Αἰγύπτῳ,
Γαίτουλοι τ' ἐφύπερθε καὶ ἀγγίγναι Νίγηρες

ut haec evadat gentium dispositio:

¹⁾ Illius sententia de Dionysii aetate optime his comprobatur. Nam si, ut Bernhardyus censet, periegeta ab ista tempestate remotior fuisset, non intelligitur, cur ille rerum gestarum maxime incuriosus de hac ipsa clade quam maxime mentionem injecerit, quamquam auctor illius tacebat.

Strabo	Dionysius
Marmaridae	Marmaridae
Gaetuli Nigritae	Nigritae Gaetuli

Nempe scribere debebat *Μαρμαρίδαι καὶ ἀγγίγνοι Γαί-
τουλοι, Νίγηρες τ' ἐφύπερθε*, sed per Strabonianum illud
ὑπὸ τοῦτοις, quod ante *Γαιτούλους* est, aperte fallitur.

Inde a versu 219 poeta subito auctorem suum reliquit, qui repentino hoc transitu fontes suos celare studeret. Et hoc saepissime in carmine factum esse invenimus ab eo, qui ne in furto deprehendatur cautissimus est. Ideo fontes saepenumero mutavit ac res ex diversissimis libris conguessit. Cerne magni oceani insula, Blemym sedes, cursus Nili, qui obversus locis circa Meroën in Africam pleno alveo delatus dein autem rursus inflexus ad septentriones et orientem versus declinat, a Strabone XVII, 1,2 ut ex Eratosthene excerpta afferuntur. Siris Nili nomen ab eo non traditur, sed occurrit apud Plinium V, 54, secundum quem ita vocabatur media fluminis pars inter Syenen et Meroën sita. Plinii auctor sive est Juba sive Isidorus ¹⁾, quamvis non totus ex ipso Eratosthene pendeat, tamen plura habet cum illo communia. Ita causas Nili incrementi imbres Aethiopiae aestivos esse Plinius prodit nec aliter Eratosthenes apud Strabonem ait: *τὴν δὲ πλήρωσιν αὐτοῦ τοὺς θερινοὺς ὄμβρους παρασκευάζειν*. Quantum posteriores in his rebus Eratosthenem secuti sint, firmatur Artemidori ²⁾ fragmento 90, quem iterum et ab Isidoro et a Juba adhibitum esse ex fragmentis eorum, quae Plinius operi inseruit, satis apparet. Qua re etiam hoc Nili Siris nomen jam apud Eratosthenem non potest non exstitisse, cui reliqua a Dionysio exposita sat certo debeantur: nam periegetam geographica illius ipsum inspexisse, pluribus etiam exemplis postea evincere poterimus.

¹⁾ Oehmichen in act. societ. phil. Lips. III. p. 436.

²⁾ Reliquias illius collegit Stiehle in Philol. XI. p. 193.

In proximis, ut jam dixi, ea quae ipse animo perceperat poeta protulisse nec alium secutus esse videtur, figuram enim illam Aegypti triangulum efficientem, quod ex duobus lateribus paribus constet, haud scio an nullus alius terrarum scriptor tradiderit. Terminum Aegypti Syenen urbem esse non ignorabat Dionysius, itaque delta, quod proprie vocatur, ad totius terrae formam transtulit. Strabo p. 789 fasciae in longum explicatae Aegypti formam similem esse statuit, Scylax p. 43 cum bipenni eam comparavit.

Sequitur inde a versu 269 descriptio Europae, quam cum Libya conjunctam cuneatam formam exhibere censet, quamquam Libyam trapezii speciem referre antea dixerat. Neque enim inter se conciliare studet ea quae ex diversis fontibus recepit. Celeriter dein terras ab Iberia usque ad Pontum percurrit (281—300), ibi tantum pluribus verbis commoratus. Hinc nobis ordiendum est, nam quum quae antecedunt tantopere in angustum sint coacta ipsaque verba depravata (v. 295), de his melius tacemus. De Getis, Bastarnis, Dacis accuratiora sua demum aetate innotuisse Strabo p. 118 testatur, Eratosthenem, Timosthenem ceterosque antiquiores gentium istarum maxime fuisse ignaros (p. 93). Nec minus Plinius IV, 81 Germanorum et Sarmatarum nomina praeae appellationi Scytharum opponit, apud eos solos durasse illam, qui extremi gentium degerent. Germanorum nomen sub finem alterius demum ante Christum saeculi pervulgabatur (Muellenh. p. 484). Tauros Chersonesum Tauricam incoluisse Strabo p. 308 memorat, Plinius IV, 83 gentem etiam in cursu Achillis posuit, ut ex his omnibus de tempore nobis aliquid efficere liceat, post quod Dionysii auctor sua composuerit. Prorsus aliter sunt comparata proxima. A septentrionibus harum gentium et in occidua parte Maeotidis paludis enumerantur Agaii, Melanchlaeni, Hippemolgi. Agaii commentis eorum enati sunt qui in Homero illo versu II. 13,5

Μυσῶν ἀγχεμάχων καὶ ἄγανῶν Ἰππημόλγων

ἄγανῶν vocem nominis proprii loco acceperunt. Hippemolgorum et apud Homerum est memoria et apud eos qui se ad

auctoritatem illius composuerant, Eratosthenes autem, Apollodorus, alii eos omnino nullos fuisse affirmant (Strab. p. 299). Melanchlaenos scriptores posterioris aetatis plerumque in orientali Ponti tractu posuerunt (Plin. VI, 15; Ptol. V, 8; Mel. I, 19, 14), veteres autem in occidentali (Hecat. fr. 154; Herod. 4, 100) ut etiam periegeta. Sed his repugnat Agathysorum collocatio. Qui quidem apud Dionysium accolae sunt maris Congelati, cujus rei Ptolemaeus tantum III, 5 et ejus sectatorem Marcianum Heracleensem p. 56 habet socium, apud Herodotum enim 4,100 vicini sunt Neuris et regiones trans Maeotin ab aestivo solis occasu sitas tenent. Prorsus deinde inauditae sunt Hippopodum sedes juxta Neuros et Gelonos, nam Plinius 4,95 et Mela III, 6 homines illos equinis pedibus in insulis et oris septentrionalis oceani degere statuunt, quos jam a Pythea in his regionibus commemoratos esse Muellenhoff. p. 494 suspicatur. Nec minus mire Dionysius v. 314 e Rhypaeis montibus Panticapen et Aldescum flumina in mare boreale se effundere dicit, quae Herodotus 4,92 et 4,18 in Thracia et Scythia meridionali fluere tradidit. Poetam amnes illos huc ex arbitrio transtulisse Muellenhoffio (p. 214) ideo non concesserim, quod semper fere auctores suos anxie sequi solet, a quibus eum recessisse non dicere possumus, nisi certum periegetae consilium primo obtutu apparet. Dein Marcianus quoque p. 56 vel Ptolemaeus 3,5 Chesinum et Turundum ex istis montibus in Sarmaticum oceanum profluere statuit. Qua re potius reconditam cujusdam doctrinam poetam repetere mihi persuasum est. Quod si in versu 310 Hippopodum et Agathysorum sedes inter se mutantur, non differt a vetustissimi aevi geographis Dionysius, qui ad ordinem invertendum metri sola necessitate adductus esse videtur, nam nec Agathysos alterum nec Hippopodes extremum versus locum tenere par erat.

In vicinia maris Congelati e Dionysii sententia adamas nascitur, quod Plinio teste 37,4,15 solus Metrodorus Scepsius

retulit ¹⁾. Plura etiam alia imprimis de gemmis affert Dionysius, quae in Plinii quoque libro XXXVII inveniuntur. Et Dionysius v. 328 et Plinius 37,132 asterium lapidem in Pallenes litoribus gigni produnt, quum ab aliis scriptoribus gemmarum Pallenes nulla fiat mentio. Uterque (Plin. 37,188; Dion. v. 1031) narcissiten lapidem noscit, de quo aliunde nihil constat. Quem Plinius in libro XXXVII imprimis duces habuerit, in summa aliorum testimoniorum inopia vix ad liquidum perducere potest ac ne ex indicum quidem ratione quidquam effici posse videtur. Metrodorus a Plinio ter citatur. In paragrapho 178, ubi alios auctores non attulit ille „Paneros, inquit, qualis sit a Metrodoro non dicitur, sed carmen Timaridis reginae — ponit, ex quo intelligitur, additam ei fecunditatem“. Ex hac unius Metrodori mentione et totius loci natura colligi posse mihi videtur, Plinium eum ipsum inspexisse et illius auctoritatem in hac libri parte prae ceteris secutum esse. Paulo post §. 188 narcissitis memoratur, quae etiam apud Dionysium obviam est. Quare non temere Muellerus e Metrodoro Sceptio periegetam sua hausisse suspicatus est, quid ei debeatur accuratius definiendum est. Nam Metrodorum, qui in regionibus circa Pontum diutius commoratus est, Agauos et Hippemolgos etiam memorasse nemo contenderit, ex vetustiore potius fonte versus 308—15 procul dubio manarunt, quibus Istri

¹⁾ Ammianus Marcellinus 22, 8, 31 cum Dionysio consentit, habet enim: Agathyrsi apud quos adamantis est copia lapidis. Sed hoc testimonium nihil valet, quum Ammianus plura ex Dionysii carmine desumpserit et saepius illius verba in suum sermonem transtulerit, quod Gardthausenium fugisse videtur. Conferas

Dion. 550—33 = Amm. XXII, 8,30	Dion. 768,69 = Amm. XXII, 8,21
„ 525, 26 = A. XXII, 8,2	„ 985,86 = A. — 8,42
„ 660—63 = A. XXII, 8,27	„ 261 = A. — 16,3
„ 689, 700, 701 = A. XXII, 8,23 et 24	

Amm. 22, 8, 30 ne verba quidem poetae ad suam rationem accommodavit, habet enim in dextro latere = δεξιτερῇ, quamvis e Maeotide descendens.

quoque ostium quintuplex (v. 299—301) addas, Herodoto etiam (4,47) et Ephoro (fr. 77) probatum. Contra versus 302—7 et 316—29 recentiorem auctorem produnt, Metrodorum dico Scepsium. Qui quo copiosius in opere geographico de lapidibus mentionem intulit, eo acceptior erat periegetae, τῶν Αἰδιακῶν scriptori. In hunc bene quadrat geographicarum rerum expositio, quod nisi fit caveamus, ne sic quoque gemmarum et terrarum descriptionem ubique ex uno eodemque fonte fluxisse credamus, nam etiam contrarium evenisse infra videbimus.

Sed ne quis de vetustiore illo fonte audacius quam verius a nobis disputatum esse arbitretur, aliis etiam argumentis sententiam nostram confirmabimus. Versu enim 652 pergit poeta regiones et gentes carmine persequi, quae in Asiatico Ponti latere sunt. Haec carminis pars cum altera illa, de qua modo diximus, connexa est et rerum similitudine et gentium distributione. Qualis ibi Agaurum populus fabulosus apparuit, talis hic v. 700 Camaritarum ficta natio. In enumerandis gentibus, quae orientalem Ponti partem incolunt, Dionysius ex omni fere parte cum Scylace (p. 31) sua habet communia, sed Melanchlaenis non ut Scylax regionem Gelonis et Colchis vicinam assignat, quippe quos auctor ejus in Ponti tractu occiduo nominasset. Strabo p. 497 eos secutus est qui res regis Mithradatis conscripserant, Dionysius, Scylax, Strabo ita inter se differunt:

Scylax.	Dionysius.	Strabo.
Sauromatae	Maeotae	Achaei
Maeotae	Sauromatae	Zygi
Sindi	Sindi	Heniochi
Cercetae	Cimmerii	Cercetae
[Toretæ]	Cercetae	Moschi
Achaei	Toretæ	Colchi
Heniochi	Achaei	
[Coraxi]	Heniochi	
Colica	Zygi	
Melanchlaeni	Colchi	

Cum Straboniana si comparaveris Dionysii gentium dispositionem, hunc non ex rerum Mithradatis scriptoribus haurisse apparebit. Scylax summae antiquitatis memoriam nobis servavit, qua re Dionysius quoque, qui ad illum proxime accedit, quin fontem satis antiquum in usum vocaverit, nulla est dubitatio. Quod quidem hisce etiam comprobatur. Maxime enim est prodigiosa de coeli asperitate in regionibus a Ponto ad septentriones vergentibus narratio, de qua re jam Strabonis aetate paulo aliter cogitaverunt (p. 126). Tota, inquit, terra ad habitationem apta est excepta exigua parte, quae ob frigus incoli nequit, habitatae autem partes quamvis algidae, tamen bene coli possunt. Hominibus, ne una cum pecoribus frigoris vi necarentur, in alias terras fugiendum esse, nemo tunc etiam retulerit. At Dionysius ipse rem in majus extulit. Concedo. Sed Tanaidis fontes in Caucasii montibus positos altius poetam repetivisse certum est. Idem statuisse Hecataeum e gentibus ab illo aut Europae aut Asiae attributis efficitur, quam vetustiorum scriptorum sententiam inter recentiores Theophanem Mytilenaeum iterum laudasse Strabo miratur (p. 493). Ut in Melanchlaenorum sedibus sic in Tanaidis quoque fontibus Dionysio cum Hecataeo est consensus. De Amazonum migrationibus et de Colchis ex Aegypto advenis etiam Herodotus (4,110; 2,104) nos edocet, sed nec huic nec Scylaci Dionysius sua debet. Quis fuerit periegetae auctor dicere non habeo, itaque, donec alius quis hoc eruerit, sufficiat, fontem paulo accuratius descripsisse.

Iberiae dein descriptionem poeta versibus 330—38 complectitur. Europam se tribus peninsulis extendere ex Eratosthenis ¹⁾ ratione proposuit Dionysius. Alyben promontorium columnam esse Europaeam statuit, quam ceteroquin Calpen nominare solent. Ista appellatio posteriore demum tempore in usu fuisse videtur, affert Muellerus unum tantum exemplum Characis Pergameni, Dionysio fere aequalis. Deinde iterum cum Eratosthene (fr. 71) facit poeta, quum Tartessum

¹⁾ Bernhardyus, Eratosthenica fr. 60.

ad Calpen montem, columnam Europaeam, collocet. De Cempsis unus Avienus (or. marit. p. 195) fecit mentionem, apud quem in Ophiussae agro arduos colles tenent Cempsi illi et Saefes sunt Celtarum gentes. In tabulis antiquioribus ita Iberia depicta est, ut meridionale latus ad boreale prope accedat, quum media terrae pars paene sit inexplorata ¹⁾, cujus rei ipsa Eratosthenica tabula exemplo esse potest. Qua re Avienus, cujus Ophiussa ad intimum sinum Gallicum pertinet et Dionysius, qui Cempsos post Tartessum usque ad ipsos Pyrenaeos consedissee dicit, non multum inter se differunt. Jam Muellenhoffius (p. 82) in memoriam revocavit locum illum Strabonis (p. 107), ubi hic Eratosthenem reprehendit, qui inter se repugnantia tradidisset, nam in Hispaniae circuitu describendo nusquam Gallorum vel Celtarum fecisse illum mentionem, quum aliis locis eos totam occidentalem Europae partem incolere dixisset. Consequens est, ab Eratosthene, quum in universum de Hispania verba faceret, nomen generale usurpatum esse, dein autem gentes per singula nomina esse significatas. Quum in his paucis versibus plura insint Eratosthenica, facile suspicio nascitur, Dionysium ex Eratosthene etiam nomen illud repetivisse, qui eundem fortasse fontem quem Avienus adhibuit. Dionysium pro Calpes nomine Alyben, quod sua aetate viguit, substituisse, non ita mirum videri potest, quum nominum mutatione auctorem, quem sequebatur, tegere conaretur. Nec aliud illud discrimen verborum, quod intercedit inter Eratosthenicam *Ταπησοίδα* (fr. 71) et *Ταπησόν* periegetae multum valet, quum Dionysius permultas nominum formas sibi proprias habeat. Superest etiam aliud argumentum, quo haec ex ipso Eratosthene sumpta esse probatur, de quo paulo infra videbimus.

Iberiam excipit Italiae descriptio (v. 339—382), in qua accurata diligentia quam maxime desideratur, inepta nimirum rerum dispositio ac gentium ordinis perturbatio bene Dionysio processit. Animum ad Magnam imprimis Graeciam

¹⁾ C. Mueller in Philol. XXXII. p. 110—115.

attendit, quum de orientali Italiae ora fere nihil habeat quod proferat. Jam ex hac tota ratione fortasse conjectura assequi licet, Dionysium non ex terrarum sed ex rerum scriptore sua hausisse, nam geographi omnes terrae partes aequae tractare solent, historici veterum eas tantum, in quibus plurimae res gestae sint. Ut vero in meridionali Italiae parte antiquissimis praecipue temporibus, quocunque fere ingredimur, in aliqua historia vestigium ponimus, ita orientalis ora rerum ibi gestarum maxime est sterilis. Secundum Dionysium (v. 380) Adriaticum mare a monte Gargano vel Hyria ad eum sita usque ad Venetiam pertinet. A Gargano, qui est terminus Japygiae septentrionalis, Jonium mare ad meridiem versus diffunditur. Dissentit igitur poeta a serioris aevi geographis, qui hoc nomen exteriori tantum sinus parti ad Japygium promontorium sitae indiderunt (cf. Strab. p. 317). Vetustiores autem Adriatici maris nomen ad sinus extremam partem interiorem rejecerunt, ita post Umbros demum illud incipere statuit Theopompus (ap. Ps. Scym. v. 369). Scylax § 14 cum periegeta Japygiam usque ad Garganum pertinere ait, ad eundem montem Adriatici maris termino posito. Itaque neminem latere potest, Dionysium vetustioris aevi geographiam tradere, auctorem autem illius Ephorum esse, me probaturum esse puto. Is enim in historiarum libro quarto Italiam descripserat multis rebus additis, quae ad origines urbium et gentium migrationes attinent, quo neminem meliorem habuisse auctoritatem ipse Polybius testatur (Strab. p. 465). Dionysium ex his plura in carmen recepissee testimonio sunt Ephori fragmenta adhuc servata ¹⁾. Tum vero Ps. Scymnus in versibus 305–60 et jam antea eundem auctorem secutus est, ut ea quae huic et Dionysio sunt communia locum teneant fragmentorum, quae Ephori nomen ferunt. Pelasgos ex Arcadia advenisse et prope Tyrrhenos consedissee refert Dion. v. 347–49 = Ephor. fr. 54 = Ps. Scym. v. 217–19.

¹⁾ C. Mueller Fr. Hist. Graec. I. p. 234.

Tarenti ~~originem paucis~~ tangit periegeta, multo uberior est Ephorus, consentiunt iterum

Dion. v. 376, 377 = Eph. fr. 53 = Ps. Scym. v. 330 seqq. Hoc etiam loco Amyclaeorum et Lacedaemoniorum nomina poeta inter se permiscuit. Sybaritarum interitum, qui ob aemulationem certaminum Olympiorum caelestes iras sibi contraxerant, tradit

Dion. v. 372—74 = Ps. Scym. 340 seqq.

Ephorus sine dubio est utriusque auctor, cujus sententiam Timaeus, ut solet, correxerit, qui eadem de Crotoniatis refert (fr. 82). Extremos denique versus 379—81 vetustioris temporis memoriam servare ac bene in Ephorum quadrare, luce est clarius. Unum sane inest in Dionysii descriptione, quod ab Ephori auctoritate discrepet. Is enim Locros Epizephyrios colonos habet Opuntiorum (fr. 46). Ex narratione autem, quam addidit Dionysius et quam etiam Aristoteles (FHG. II. fr. 229) exhibuit, intelligitur, ab Ozolis genus duxisse Epizephyrios periegetae persuasum fuisse. Ps. Scymnus in hac quoque re Ephorum sequitur, ait enim v. 316:

εἰσὶν δ' ἄποικοι τῶν Ὀπουντίων Λοκρῶν.

tum vero pergit:

ἔτιοι δὲ Λοκρῶν φασὶ τῶν ἐν Ὀζόλαις.

Ex hoc additamento colligi potest, jam Ephorum de sententiarum varietate mentionem intulisse et quod ipse senserit adversariorum iudicio opposuisse. Dionysius ut hoc probaret, adductus esse videtur narratiuncula de Ozolis prolata, aut non consulto id egit, ut diversa inter se conjungeret, negligentius excerptoris munere functus. Nam eum nimiae curae ac diligentiae non studuisse vel ex eo conspicuum est, quod unde Locri Epizephyrii primordia derivaverint, omnino non indicavit.

Transit poeta ad oram Illyricam paucis verbis tractandam (383—397). In his quoque prisci aevi geographiam tradit, a qua longe diversa sunt ea quae versibus 96 et 97 breviter adumbravit. Bulinorum in ista regione maxime tenuis est notitia, Scylax § 22 et Ps. Scymnus v. 404 soli e

veteribus illos in terra Chersoneso Hyllicae adjacenti collocaverunt. Sed est quo illi tres inter se differant. Ps. Scymnus medium inter Liburnos et Hyllos locum tenere Bulinos statuit, quum Dionysius post Hyllos eos posuerit ut etiam Scylax. Hic autem Illyriae nomine Bulinos comprehendit nec Dionysium nec Ps. Scymnum sectatores nactus, qui post Bulinorum demum fines Illyridis initium esse sumunt. Se ex Timaeo et Eratosthene hausisse, Ps. Scymnus ipse profitetur. De Chersoneso Hyllica fragmentum Apollodori quoque (FHG. I. fr. 119) ad nos pervenit, ubi hic quidem ut periegeta supra Hyllos Liburnos collocavit, in ceteris autem Timaeum sequebatur ut in numero urbium in Chersoneso illa constitutarum, nam ad hujus quidem auctoritatem in rebus geographicis ille saepissime se adjunxit. Ut aliud exemplum proponamus, Hyccarum Siciliense plerique habuerunt castellum, ut Nymphodorus, Philistus, alii vocisque singulari solo numero utebantur, Timaeus autem urbem esse judicavit eamque pluraliter appellavit (fr. 105 et 107). Assentitur ei ex omni parte Apollodorus (fr. 53). Qui quidem chronicorum est scriptor tragiambico metro conditorum, in quibus quid expositum fuerit, Ps. Scymnus (v. 19 seqq.) pluribus verbis indicat. Illis enim annalibus continebantur omnes res majoris momenti, quae inde a bello Trojano erant gestae, gentium simul et terrarum descriptione admixta. Quantum in chronicis geographicas res respexerit Apollodorus, ex eo cognoscere licet, quod idem carmen γῆς περίοδος et a Strabone et a Stephano Byzantio vocatur¹⁾. Ut Ps. Scymnus ad Apollodori chronicorum exemplum suam periegesin quam maxime formaverat, ita certo etiam Dionysio, quae in carmine componendo consuleret, apta esse videbantur. Exordium ille quidem a Trojae excidio cepit, sed nihilo minus vel pauca praefatus vel paulo digressus interdum etiam antiquiorum temporum meminit (cf. fr. 72). Illum prae ceteris non omisisse eas fabulas referre, quae locorum et terrarum nomina interpre-

1) C. Mueller Fr. H. Gr. I. p. XLIV.

tantur, non negabit is, qui quam studiose quum in omnibus tum in geographicis nominibus enodandis Apollodorus laborare soleat, cum animo consideraverit. Ceterum certissimo hujus rei argumento est fragmentum 126. Illarum fabularum nonnullae, quae e chronicis desumpsit Dionysius, in Apollodori bibliotheca sunt servatae. Hic, ut jam demonstravimus, Timaei sententiam de gentibus orae Illyricae in universum illam quidem probatam in eo tamen commutaverat, ut supra Hyllos Liburnos, ergo post eos Bulinos poneret: secutus est eum Dionysius. Fabulam de Cadmo et Harmonia eodem modo quo poëta prodit Apollodorus (bibl. III, 5, 4), quam in chronicis quoque, quum de Cadmi et Harmoniae saxis verba faceret, nescio an commemoraverit. Apollodorus sine dubio etiam eas oras maritimas et insulas, quas Argonautae praetervecti erant, uberius in carmine tractaverat, quum omnes eorum fabulas in bibliotheca complexus esset. Nec aliter Timaeo Siciliae et Italiae descriptio occasionem praebuerat, Argonautarum expeditionem accuratius exponendi (fr. 5 seqq.), de qua quid narraverit nullo modo Apollodorum fugere poterat. Itaque eorum in geographicis quoque rebus enascitur consensus. Testis est Dionysius inde a versu 456.

Versibus enim 450—611 omnes terrae insulae enumerantur. Quod ad fontes attinet, de duplici ratione cogitari potest. Aut enim librum *περὶ νήσων* in usum vocavit periegeta, qualem scripserunt Philostephanus Cyrenaicus, Diodorus, alii, aut ex commentariis geographicis, quibus vel antea usus erat vel postea usus fuit, insulas selegit selectasque composuit. Hoc nobis statuendum erit, si aliqua ratione conjunctas esse videbimus insularum cum marium, terrarum, litorum, quibus adjacent, descriptionibus. Versus 554—611 in hac conditione esse supra jam ostendimus nec aliter ceteros quoque comparatos esse, nunc demonstrabimus. Dionysii auctor inde a versu 456 iterum est Apollodorus. Qui quod plura ex Timaeo receperit, non jam miramur. Ad eum enim referri debent Trinacria, Siciliae e tribus promontoriis ductum nomen (fr. 1), Cotinusa, Gadium prisca ap-

pellatio (Plin. 4, 120), Sardinia maxima maris interni insula (fr. 30). Ex ipso autem Timaeo, quod Muellenhoffius p. 448 vult, Dionysius hausisse non potest, quum in aliis rebus ab illo dissentiat. Nam etiamsi nullius fere momenti esse concedimus, quod Timaeus Gymnesiarum nomine non usus est, sed Choerades istas insulas appellavit (fr. 31), tamen non in Iberiam Diomedem proficiscentem facit sed in Italiam (fr. 13). Apollodori autem vestigia num evidentius apparere possunt quam in versu 466? *Πλωταὶ νῆσοι* ex Dionysii sententia sunt *περιπλομέναι*, cogitatur de Homericō illo *πλωτῇ ἐνὶ νήσῳ* (O. 10, 3), quantum vero operae ad Homericas glossas explicandas impenderit Apollodorus, nemo illis studiis vel leviter imbutus ignorat (cf. fr. 205 et 207). De Diomedis in Iberiam migratione posteriores demum retulerunt. Quum inferiorem Italiae partem ille intrasset, ubi Sicani ex Iberia oriundi sedes habuerunt, Hesperiae nomen Italiae ad Iberiam transtulisse videntur (cf. C. Muell.). Ut Dionysium apud Apollodorum hanc narrationem invenisse arbitremur, eo adducimur, quod ille et de Iberum migrationibus copiosius disseruit (fr. 161) et Sicaniam regionem Agrigentinis finitimam in chronicis diserte memoravit (fr. 140). Accedit etiam aliud. De numero enim Diomedearum insularum summa est sententiarum diversitas, sed unam tantum insulam ut Dionysius Ps. Scymnus quoque novit (v. 431), quamvis de situ illius paulo negligentius agat. Quod si exceperis, illi prorsus inter se consentiunt, nam etiam Ps. Scymnus unde insula nomen traxerit, paucis indicat. Quum vero hic saepissime in Apollodorum intueri soleat, aliquo modo sententia nostra confirmatur. De Apsyr- tidibus deinde insulis vide, quantus inter Dionysium et Apollodorum sit consensus.

Dion. 488 *Ἀψύρτων νήσων ἀναφαίνεται ἄσπετος ὁλκός, τὰς ποτε Κόλκων νῆες ἐπέδραμον, εὐτ' ἐμύγησαν ἵχνια μαστεύοντες ἀλήμονος Αἰγιήης.*

Ap. bibl. 1, 9, 25 *Τῶν δὲ Κόλκων τὴν ναῦν εἰσεῖν μὴ δυναμένων, οἱ μὲν — οἱ δὲ εἰς τὴν Ἰλλυρίδα κομισθέντες, ἔκτισαν Ἀψυρτίδας νήσους·*

Eodem loco etiam Corcyrae, cujus rex erat Alcinoüs, Apollodorus meminit. Quae quum ita sint, hunc Dionysii ducem in oris Adriatici maris describendis fuisse dicere audeo.

Versus 496—507 non ex Apollodoro manasse sed ad Graeciae descriptionem pertinere videntur, nec versus 477—79 illi tribuas velim, de quibus paulo infra sermo erit.

Secundum Dionysii versus 450—55 Gades insula medium inter columnas locum tenent. Eandem insulam antea Erythiam appellatam esse testatur Apollodorus (bibl. 2, 5, 10), apud quem tertium etiam nomen Cotinusae, quod Timaeus tradidit, exstitisse supra ostendimus. Eratosthenes Erythiam juxta columnam Europaeam sitam esse dicit (fr. 71), ob eam ipsam causam ab Artemidoro vituperatus. Periegeta igitur cum Eratosthene facit, nomina autem eo facilius commutare poterat, quum apud Apollodorum, quem in proximis secutus est, illa idem significare invenisset. Itaque habemus novum argumentum quo demonstratur, Iberiae etiam descriptionem ex Eratosthene petitam esse. Nam hunc insularum recensum ac terrarum mariumque descriptionem inter se cohaerere, luculentissime apparet e versibus 477—79. Dionysius e regione Siciliae, inquit, Libycum mare est Syrtisque major, a qua tibi ad occidentem proficiscenti apparet Syrtis minor et occidua, cui duae imminet insulae, Meninx et Cercinna. Quae prava regionum imago quomodo oriri potuerit, cernitur e versibus 103—7. Ibi enim recte dicit, ultra terram Siculam Libycum mare trahi, australem Syrtim alluens, dein etiam alteram conspici, quae parvum sinum haberet interiorem. Postea ne idem iisdem verbis redderet, brevior est, sed falsa et perversa profert.

Quibus disputatis ad Graeciae descriptionem nos conferamus (v. 398—446). Ab auctoribus, quos Dionysius in rebus geographicis secutus est, discernendi sunt ii e quibus eas tantum res et fabulas deprompsit, quibus exornaret expoliretque orationem, sive imitandi causa poetarum carmina evoluit, sive memoriter nonnulla ab iis exposita carmini inseruit. Huc referenda est fabella illa de Borea, Orithyiae

www.libtool.com.cn
 raptore (425), eodem modo ab Apollonio Rhodio (Arg. I, 212) enarrata, quem Dionysius saepius imitatus est. Sed in geographicis quoque rebus in hac carminis parte Dionysium secutum esse poëtam Muellerus ostendit, qui in versibus 415—17 Callimachum (h. in Jov. v. 13 seqq.) periegetae auctorem esse demonstravit. Hujus Dionysius studiosissimus est imitator saepissimeque verba illius in suum carmen recepit ¹⁾. Eundem etiam in extremis versibus 441—46 Dionysii ducem esse perspicuum fit ex adnotatione scholiastae ad Apoll. Rhod. 2, 706: *ὅτι Δελφίνης ἢ Δελφίνη ἐκαλεῖτο ὁ φηλάσσω τὸ ἐν Δελφοῖς χρηστήριον Μαιάνδριος καὶ Καλλιμάχος εἶπον*, ubi etiam *Δελφίνη* vocis formam apud utrumque eandem esse Schneiderus (p. 565) admonuit. Ac per eundem Callimachum vel alium quendam poëtarum Alexandrinorum Dionysius videtur adductus esse, ut miram illam doctrinam inde a versu 498 in medium proferret. Ait enim ab Amniso Cretae fluviolo et oppidulo ad septentriones versus jacent Aegila, Cythera, Calauria insulae, atque ab orientali ejus parte in eandem regionem spectat Carpathus, cui vicina est Creta. Si geographi cujusdam enarrationem juste dispositam ante oculos habuisset periegeta, insularum situm, ut par erat, terris continentibus definivisset: nunc autem ex fonte suo Amnisum rivum ascivit, in quo eum poëtarum more celebratum invenerat, quod saepius factum esse Callimachi *Ἀμνισίδες ῥύμφαι* (h. in Dian. v. 15) satis testantur. Poëtas aliam, aliam geographos vim fluminibus tribuere Dionysium praeterivit. Utrum id quod antea de Acheloo fluvio e Chalcide monte maritimo profluente perperam dixit ad eundem fontem referendum sit, an ad ipsum periegetam in errore versantem, ut res nunc sunt, in incerto etiam relinquendum est. Ceterum hoc patet, a Dionysio praeter poëtam etiam scriptorem, qui soluta oratione geographiam tractavit, adhibitum esse. De qua quidem re dubitationem omnem tollunt versus 409—13:

¹⁾ Locos similes conguessit O. Schneider, Callimachus II. p. 852

Τῆς μὲν πρὸς Ζεφύροιο Τριφυλίδος ἦθα γαίης,
 ἐνθ' ἔρατεινότατος ποταμῶν Ἀλφειὸς ὀδεύει,
 σχιζόμενος προχοῇσι Μεσηρίου Εὐρώταο,
 οὔτ' ἄμφω Ἀσέηθεν ἀναβλύζουσι ῥέεθρα·
 ἀλλ' ὁ μὲν Ἠλείων, ὁ δ' Ἀμυκλαίων χθόνα τέμνει.

Et Triphylia enim Elidis nomine non minus quam ex Eurota Messenio poeta cognoscitur, contra prorsus e geographorum ratione sunt exposita proxima nec verba ὁ δὲ Ἀμυκλαίων χθόνα τέμνει cum Messenio Eurota apte componi possunt. — De Amyclaeorum voce pro Lacedaemoniis a Dionysio semper fere usurpata supra jam diximus. — Strabonem alterum illius auctorem esse, veri simillimum esse puto. Hunc enim praeterquam quod etiam Peloponnesum cum platani folio contulit (p. 83) fontesque Eurotae et Alpei Aseae vico vicinos esse docuit (p. 343), quam maxime produnt Dionysii *Κεφαλλήνων πτολίεθρα* (v. 436). Acarnaniae enim nulla fit mentio, quum e Homeri sententia Cephallenum nomine Acarnanes simul comprehensos esse Strabo (p. 452) longius expediverit. Dionysium per ipsum Homerum, ut ita statueret, commotum esse nego, quum Il. 2, 630 Acarnanes non nominatim vocentur, quod ut Strabonis diligentiam fugere non poterat, ita a periegeta vix animadvertebatur. Sed hoc maxime ei est proprium, ut omnes eas res, quas poetarum ingenio vel excogitatas vel eorum more expositas esse apud terrarum scriptores legerat, cupide arriperet, velut usum duobus ventis regionum situs definiendi (v. 557), cujus meminerat Posidonius, dein vocem illam „*εὐίππος Κυρήνη*“ (v. 213), quam Strabo p. 837 e Callimacho attulerat. De tertio denique exemplo paulo infra sermo erit.

Ex insularum descriptione supersunt adhuc Aegaei maris et Ponti Euxini insulae (513—53). De his nihil novi profert Dionysius, nam error ille, ex quo Leucen insulam, quae Istri ostio adjacet, Borystheni oppositam esse dicunt, omnibus fere veteribus est communis, Istrum ad septentriones nimium promoventibus ¹⁾. Quum supra maris illius de-

¹⁾ Ukert, Alte Geogr. III. 2, 445.

scriptionem ad C. Posidonium referendam esse docuerimus, etiam id quod de insulis exponit Dionysius eidem tribuerim, licet certa argumenta, quibus sententiam confirmare possimus, non habeamus. Sed quum Posidonius Bosporum Cimmerium accuratius tractaverit, nihil certe impedit, quominus Phanagoriae et Hermonassae sedes ex eo petitas esse censeamus. Quum in aliis tum in hac quoque re Dionysius differt a Strabone vel Eratosthene, qui Hermonassam non in insula sed in Sindica regione collocaverint.

Ex Aegaei maris insulis Europae adscribuntur eae quae ad laevam manum, Asiae vero, quae ad dextram sitae sunt. Cui rei aliquo modo repugnat, quod Cyclades insulae Asiae attribuuntur. Ex testimoniis quae affert Muellerus ad v. 525 intelligitur, Vespasiani tempore insularum provinciam esse institutam eamque, quum maximae insularum Asiae adjacerent, huic adnumeratam esse. Itaque periegeta iterum res, quae sua aetate vigeabant, non apte conjunxit cum iis quas ex fonte suo petiverat. Qui qualis fuerit, difficile est dictu. Nam quum apud poetas Alexandrinos de illis insulis summa copia et rerum et verborum exstaret, ex iis haud pauca Dionysium insularum ordini ei quem prae-buit auctor suus admiscuisse, consentaneum est. Sine dubio poetis illis multa epitheta debet, quae insulis indidit, nec injuria Muellerus Caenum insulam, de qua aliunde nihil constat, ad eosdem retulisse videtur, quamquam in rebus tam desperatis ultra conjecturas progredi non possumus.

Transeamus ad Caspium mare accuratius circumspiciendum, quod Dionysius versibus 718—60 describit. Tribus mensibus opus esse ait ad trajiciendum, quem lacus ambitum ille suo periculo explorasse nec ex auctore, quem sequebatur, sic recepisse videtur, ejus sententia fortasse detorta. Dein recensentur gentes Caspium mare adcolentes adnotatque Muellerus, ordinem populorum eundem esse, quem ex Eratosthene proderet Strabo p. 514: *μετὰ τοὺς Ὑχανοὺς Ἀμάρονας — καὶ Καδουσίους καὶ Ἀλβανοὺς καὶ Κασπίους καὶ Οὐντίους, τάχα δὲ καὶ ἑτέροισι μέχρι Σινδῶν. Οὐντίους* Eratosthenis et Dionysii *Οὐννοὺς* eosdem esse, facile quivis con-

cedet, quum hujus verbi formae maxime fluctuent. Sed nihilo minus mihi certum est, Dionysium non ex ipso Eratosthene sua hausisse. Apud Strabonem enim plura inveniuntur ab Eratosthenica ratione diversa, quae Dionysius quoque versibus amplexus est. Nam secundum geographum Cyrenaicum Tapyri sedes tenent *μεταξὺ Ὑγκανῶν καὶ Ἀρίων* additque *ἐπὶ θάτερα δὲ μέρη τῶν Ὑγκανῶν Δεξιβικας*. Contra Strabo p. 515 dicit *τοὺς δὲ Ταπύρους οἰκεῖν φασὶ μεταξὺ Δεξιβικῶν τε καὶ Ὑγκανῶν*. Dionysius igitur ab Eratosthenis auctoritate recedit et cum Strabone consentit. Pro Amardorum nomine ab Eratosthene tradito etiam apud Strabonem alterum illud Mardorum est (p. 523: *καὶ γὰρ οὕτω λέγονται οἱ Ἀμαρδοί*). Huc accedit, quod Serum natio Augusti demum temporibus innotuisse videtur (Bernh. ad v. 752), nam Ctesiae unum testimonium, quum codex multis interpolationibus depravatus sit, nihil valere monuit Muellerus. Denique in recensu populorum desunt apud Eratosthenem Gelae, qui quidem a Dionysio versu demum 1019 memorantur, sed quum carminis istae partes inter se cohaereant, hoc nihil refert. Strabo quoque Gelas non omisit (p. 503), sed ne is quidem Dionysii auctor esse potest, quum singula accuratius quam ipse Strabo exposuerit periegeta. Velut ille ex Indicis montibus Oxum profluere ait, hic Emodum montem, unde originem habeat, significat. Sed plurima illis sunt communia; praeter ea quae jam attuli, in ea quoque re consentiunt, quod uterque Araxem cum Jaxarte confudit (Strab. p. 512; Dion. v. 739). Quae quum ita sint, Strabonem et Dionysium ex eodem fonte hausisse contendo. Strabo secutus est in illis regionibus Posidonium ita tamen, ut caute eum adhibendum esse arbitraretur (fr. 89), quum saepius falsa protulisset, dein autem prae ceteris Apollodorum Artemitenum, quippe qui accuratiora quam reliqui de rebus Hyrcanicis et Bactrianicis tradidisset. Is Posidonii aequalis bella Parthica scripserat, quam maxime terrae geographicarum rerum ratione habita. Hunc se ut primum ducem secutum esse, Strabo ipse profitetur (p. 118). Serum et Phrynorum prima ab eo mentio fit (p. 516), ubi Apol-

ladori sententiam exposuit ejusque verba attulit, nec minus ad eum referendae sunt Tapyrorum sedes modo indicatae, nam Apollodori nomen paulo ante Strabo ipse adscripserat. Ejusdem auctoris librum Dionysius quoque inter manus habuit.

Ad sententiam nostram confirmandam non mediocriter valent versus 1016—52, in quibus poeta de terris et gentibus Caspio mari confinibus agere pergit. Armenios montes Medicas convalles excipere non prorsus recte ille asserit. Inter Armeniam enim et Mediam Caspius mons situs est, quocum cohaeret a meridie Choatras, Mediae mons, cui contiguus est Zagrus, in quo convalles illae Medicae inveniuntur ¹⁾. Armenia igitur secundum Dionysium nimis ad meridiem et orientem se porrigit. Sed idem etiam Strabo statuisse videtur, qui Syspiritidem Armeniae provinciam a meridie Armeniae in ipsa Chalonitide regione positam esse sumpserit ²⁾. Ergo in his quoque, quominus de utriusque scriptoris communi fonte cogitemus, nihil obstat. Ut apud Strabonem ita apud Dionysium Atropateni borealis Mediae incolae sunt, quos Apollodorus eo minus omisisse putandus est, quo saepius illi cum Parthis bella gerebant (Strab. p. 523). Ex eo imprimis, τῶν Παρθίων scriptore, deprompta esse debent quae de Parthis Dionysius praeter consuetudinem uberius disputavit. Quae quidem maxime spectant ad eorum bellicas artes et mores, de quibus eum qui bella gentis scripsit copiosissimum fuisse, consentaneum est. A Caspiis portis duae viae patere ait Dionysius, alteram ad Hyrcanos, alteram ad montes Persicae terrae, de quibus Apollodorum verba fecisse Strabo refert (p. 514). A Caspiis enim portis Hecatompylum Parthorum regiam, quae in Hyrcaniae confiniis sita est, 1260 stadiis abesse Apollodorus computaverat.

Animum deinceps advertamus ad versus 761—808, in quibus Apollonium Rhodium Dionysii fontem esse proclive

¹⁾ Forbiger, Alte Geogr. II, 587.

²⁾ C. Mueller, Strab. ind. var. lect. p. 1018.

est cognitu. ~~Habemus prorsus~~ eandem rationem, qua in describenda Africa usus est periegeta, quum Strabonis vestigia premeret. Apollonius Rhodius enim in Arg. II. 346—97 gentes enumerat e Bithynia profectus usque ad Colchidem, Dionysius ordine mutato a solis ortu ad occasum progreditur. Nec satis ei est Apollonii istam quam significavi carminis partem solam exscripsisse, sed suis etiam admiscet versus illius II. 946—65, ubi de rapta Sinope agitur. Quae postremo denique loco (v. 805—8) periegeta narrat excerpta sunt e Apoll. I. 1178 seqq. Hujus orationem ille saepissime imitatus est nec major rerum consensus cogitari potest, quum ne falsa quidem, quae Apollonius protulit, periegeta evitaverit, quandoquidem Halyn fluvium ad Carambim promontorium in mare se effundere uterque credit (Ap. Rhod. II. 366; Dion. v. 785).

Paucos versus 780—82, in quibus crystalli lapidem et iaspin ad oram Thermodontis reperiri nos poeta docet, non ex Apollonio desumpsit sed ipse addidit, unde patet geographicarum rerum et gemmarum memoriam non ubique ex eodem fonte fluxisse. Alia quae ad has attinent periegeta ipse in promptu habuisse, alia ex scriptoribus ut ex Metrodoro Scepsio deprompta passim carmini inseruisse videtur.

In versibus 809—38 Dionysius Strabonis imprimis librum XIII excerpfit. De Phrygia Hellespontica altera, altera majore, quam perlabitur Sangarius, eadem sunt exposita a Strabone pp. 543 et 571. Dein inter se conferantur Dion. 830.

*Μηρόνη δ' ἐπὶ τοῖσιν ἐπ' ἀντολίην τετάνυσται
Τμώλῃ ὑπ' ἡγεμόεντι, πόθεν Πακτωλὸς ὀδεύων
χρυσὸν ὁμοῦ δίνῃσιν ἐφελκόμενος κελαρύζει.*

Strab. p. 625. — *τῶν Ἀνθῶν, οὓς ὁ ποιητὴς καλεῖ Μήρονας,
οἱ δ' ὕστερον Μαίονας — ῥεῖ δ' ὁ Πακτωλὸς
ἀπὸ τοῦ Τμώλου, καταφέρων τὸ παλαιὸν
ψῆγμα χρυσοῦ πολέ, —*

Praefert igitur periegeta Homericam formam. De Amazoni-
bus Ephesus quondam incolentibus videas Strabonem p. 550.
De Maeandro iterum utrumque audiamus:

Dion. 822. *Τῇ δ' ἐπὶ ναιετάουσιν ἀγαυῶν ἔθνος Ἰώνων, ἀγχίαλοι γεγαῶτες, ἐπὶ χθονός, ἧς διὰ μέσσης, Μαίανδρος λιπαρῇσι κατέρχεται εἰς ἄλλα δίναις, Μιλήτου τε μεσηγὺ καὶ εὐρυχόροιο Πριήνης.*

Strab. p. 577. — *Μαίανδρος τέως μὲν διὰ τῆς Φρυγίας φέρεται, ἔπειτα διορίζει τὴν Καρίαν καὶ τὴν Ἀυδίαν κατὰ τὸ Μαϊάνδρου καλούμενον πεδῖον, — τελευτῶν δὲ καὶ τὴν Καρίαν αὐτὴν διαρρέει τὴν ὑπὸ τῶν Ἰώνων νῦν κατεχομένην καὶ μεταξὺ Μιλήτου καὶ Πριήνης ποιεῖται τὰς ἐκβολὰς.*

Cariae igitur mentio latet in Dionysii verbis „ἔθνος Ἰώνων“. Quam maxime autem Strabonis vestigia in extremis versibus reperiuntur. Versum enim 836 ad Homericum illud exemplum compositum esse Il. 2, 461:

Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, Καῦστρίῳ ἀμφὶ ῥέεθρα,

jam Bernhardyus admonuit: Dionysius vero non ipsum Homerum evolverat, sed versum illum apud Strabonem p. 627 invenerat. Exemplum laudatissimorum Asiae pratorum affert Maeandrium campum in loco Straboniano modo adscripto, quem adhibuit ille, commemoratum, sed in eo mire peccavit, quod cum Caystro eum conjunxerit. Quae deinde de Bacchicis religionibus a Lydis solemnibus saltationibus celebratis poeta exponit, ex more suo ipse adjecit, nec Ephesiae Dianae sacrum in ulmi trunco exstructum apud Strabonem memoratum invenerat.

In versibus 877—926 habemus Syriae et Phoeniciae descriptionem, in qua quantum erratum sit, Muellerus dilucide expedit, cujus explicationem hoc loco repetere facile supersedere possumus. Errorum autem quid periegetae, quid auctoribus illius tribuendum sit, quis est qui dicat? Quamvis enim veteres Syriacarum regionum imaginem animis sibi finxerint incertam et fluxam, tamen in multis rebus prorsus singularis est Dionysii doctrina, qui Syriam non ultra Orontem flumen porrigi statuerit (v. 880) et Casium cum Libano, Libanum cum Antilibano permiscuerit (v. 901). Qua re haud pauca illorum vitiorum ab ipso Dionysio commissa esse

credo. ~~v. Eum. Ethimol. non ex~~ remota vetustate sua deprompsisse vel ex eo concludere nobis licet, quod in versu 877 Comma-gene ita memoratur, ut a Syria separetur, quod anno undeseptuagesimo ante Chr. n., quo terra illa suos proprios reges habere coepit, primum factum esse satis constat ¹⁾. In summa autem geographicarum rerum perturbatione juste ac bene omnia se habent in versibus 910—17, ubi Phoeniciae et Syriae ora maritima a poeta describitur. Ordinem topographicum in recensendis urbibus Jope, Gaza, Tyro ille quidem neglexit, sed tale quid metri causa saepius facere solet. In reliquis autem accuratissimus est, nam omnes fere urbes maritimas enumerat, solus veterum Bostreni amnis, qui prope Sidonem urbem fluit, meminit. Atque exquisita illius diligentia eo magis est admiranda, quum de mediterraneis oppidis fere taceat, nam unam Apameam commemorat, sed ut de terra universa sic de hac quoque falsa profert, quam in laeva Orontis ripa collocaverit. Quae quum ita sint, versus 910—17 ex alio fonte quam ceteros fluxisse contendo. Periplum enim illum adhibuit Dionysius, cujus jam supra mentionem fecimus, in quo ab Alexandria trans Chelidonias insulas usque orae legebantur. Examinantibus nobis epitheta, quae periegeta urbibus imposuit, illa satis apparent inania ipsiusque poetae ingenio excogitata (*ἀγγίαλος, λιπαρή, ἀνθεμόεσσα, ὠγγύτη*), quippe in fonte nihil nisi oppidorum nomina, alius urbis ab alia distantia, portuum et orae maritimae natura, flumina, quae in mare profluunt, erant indicata. Et eodem periplo usus est Dionysius in describenda Asiae minoris ora maritima, quae ad meridiem spectat (847—76). Primum enim si cum iis quae hoc loco tradit comparamus ea quae antea in carminis illa parte e periplo desumpta (v. 112 seqq.) de sinu Issico exposuit poeta, ne minimam quidem varietatem exstare videmus, quum omnia quin etiam falsa retinuerit, sinum Issicum tantum ad boream reflecti opinatus, ut sit vicinus Ponto Euxino. Inter se comparentur versus 118, 119 et 861—65. Dionysius

2) Th. Mommsen, Röm. Gesch. III. p. 65.

Asiae minoris terras recenset ab occasu ad ortum profectus eundemque ordinem servat urbium mediterranearum enumeratione instituta, Termessus enim Pisidiae primum locum obtinet, Selge extremum. Nunc autem qua re poetam adductum esse arbitramur, ut in ora describenda ordinem mutaverit et ab ortu ad occasum sit progressus? Recensentur scilicet Mallus, Anchiale, Soli; Pyramus, Sinarus (nam ita sine dubio legendum est), Cydnus; Aspendus, Perga, Corycus, Phaselis. Tenebat enim ille peripli cursum, qui qualis fuerit e versibus 910—17 facile colligitur. Quin immo e paucis fragmentis et exiguis particulis a Dionysio servatis eandem libri curam et accuratam diligentiam nobis cognoscere licet, quae in Phoeniciae ora apparebat. Nam Mallus, Anchiale, Soli justo ordine sese excipiunt nec quidquam deest, sed poeta, ne longior esset, ut in reliquis terris sic in Cilicia quoque describenda satis habuit, paucas urbes non procul inter se disjunctas quasi exempli gratia e periplo in carmen recepit. In libro illo *περὶ λιμένων* ne minima quidem oppidula omissa fuisse, Coryci mentione planum fit, nam periegeta urbium non clarissimam quamque et opulentissimam, ut par erat, elegit, sed in quascunque incidit, eas temere excepit. Nempe pro Coryco et Mallo Attaliam potius et Seleuciam commemoratas esse expectabas. Quae quum etiam excusari possint, tamen ille qui boni fontis auctoritate nitebatur, nimium sibi indulsisse justoque negligentius egisse dicendum est in istius maris insulis recensendis. Proponitur enim (v. 508—12) haec series: Cyprus, Chelidoniae insulae, Aratus, cujus erroris causam non cum Muelero ex tabula vitiosa repetendam esse crediderim, sed ex peripli et ipsius periegetae insularum ordine inter se permixto, nam in illo, quum ad occidentem versus proveherentur, Cyprus re vera ante Chelidonias insulas locum habuit.

Sequitur Arabiae et Troglodyticae descriptio v. 927—69. Gentium dispositio prorsus ex Eratosthenis ratione (fr. 120=Strab. p. 768) a Dionysio est instituta, qui ab eo ibi demum differt, ubi singula nomina vel truncavit vel obscuravit. Quaestio tamen hoc loco oritur, utrum Dionysius geographica illius

ipse inspexerit, an apud alium Eratosthenis placita invenerit. Praeter hunc uberius de Arabia disseruit Artemidorus, quem Strabo imprimis secutus est (XVI. c. 4). Qui postquam sententiam illius de Sabaeis tradidit (p. 778) pergit: De his igitur haec habet Artemidorus, cetera refert ut Eratosthenes, nonnulla tamen etiam ab aliis historicis sumpta adducit. De terrae frugibus et gentium cultu victuque Artemidori narratio amplissima est, cujus certa vestigia apud Dionysium agnoscuntur. Consentiunt enim de aromatum cujusvis generis abundantia, ab utroque tus, myrrha, calamus, casia, cinnamomum memorantur (Artem. fr. 101). E Dionysii sententia (v. 951) Arabiae montes insignes sunt auro, Artemidorus *χρυσός τε*, inquit, *ὀρυκτός γίνεται οὐ ψήγματος, ἀλλὰ βωλαρίων* (Strab. p. 778). Hic (v. 942) oves densis velleribus pastum ire dicit, ille pingua pascua Nabataeae regionis praedicat (Strab. p. 777). Secundum Dionysium incolae Arabiae vestibibus utuntur auro intextis ac delicate molliterque vivunt, Artemidorus de summarum divitiarum splendore Sabaeorum auri et argenti totam supellectilem habentium uberius retulit (fr. 101). De Erembis vel Troglodytis deinceps audiamus utrumque:

Dion. 963.

— — Ἐρεμβῶν,

οἳ βίον ἐν πέτρῃσι καταρρυχέσσιν ἔθεντο,
γυμνοὶ καὶ κτεάνων ἐπιδευέες. — —

967. αὐτως δ' οἷά τε θῆρες, ἀλώμενοι ἄλγ' ἔχουσιν,

Artemid. fr. 99. Νομαδικὸς μὲν σὺν ὁ βίος τῶν Τρωγλοδυ-
τῶν, — γυμνῆται — διατελοῦσιν.

In summo harum rerum consensu, quum etiam Eratosthenem in universum secutus sit Artemidorus, hunc Dionysii auctorem esse facile quis conjecerit, sed tamen alia, ne ita statuamus, obstare videntur. Nam apud Artemidorem non *Χατραμῖς* vel *Χατραμῶτις* legebatur sed *Ἀτραμωτίται* (fr. 104). Arabiae flumina suffimentis abundare ait Dionysius v. 951, quae quidem consentiunt cum iis quae Strabo p. 779 e Posidonio affert: *εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλες εὐώδεις ἐν Ἀραβίῃ*. Quum omnia illa Artemidori fragmenta, in quibus similitudo quaedam cum Dionysii versibus conspicitur, apud Strabonem

exstent, periegeta potius hoc praeunte Eratosthenis, Artemidori, Posidonii sententias inter se conjunxisse dicendus est. Strabonis librum illum ante oculos habuisse ex eo quoque colligitur, quod Erembos et in specubus vitam agere et nigram cutem habere narravit. Hoc probavit Strabo (p. 784), quum Erembi nominarentur, quod ἔραν i. e. terram subirent, sententiam autem eorum qui Ἐρεμνοῦς i. e. Nigros scribere voluerunt refutavit, quum hoc magis conveniret Aethiopibus. Dionysius utrumque illud quod apud Strabonem invenerat recepit. De Arabum Bacchi cultu ille breviter monuit p. 741, poeta, ut solet, in his rebus uberior est, qui etiam de cinnamomo fabulam ab Herodoto (3, 111) maxime divulgatam aliunde carmini inseruit.

In proximis de Tigridis et Euphratis cursu exponitur (v. 976—1013). Euphrates e Dionysii sententia ex Armenio monte primum in austrum decurrit, tum ad ortum conversus, postquam Babylonem permeavit, in Persicum mare profluit. Poeta omnino non memoravit alterum illum rivum e Abo monte ortum (Strab. p. 527), quem Euphratis primarium fontem habuerunt. Qui ab initio ad occasum versus per Armeniam majorem fluit usque ad Armeniam minorem, ubi postquam cum altera Euphratis parte confluit, in meridiem sese dirigit. Adnotat Bernhardus ad v. 978: „Cursus Euphratis variosque ab origine flexus Noster satis habuit strictim delibasse“. Sed Dionysius ex omni parte Eratosthenis sententiam tradidit ejusque vestigia maxime pressit.

Dion. v. 977. φαίνεται ἀπειρεσίου ποταμοῦ ῥόος Εὐφράτας,
ὃς δ' ἦτοι πρῶτον μὲν ἀπ' οὐρεος Ἀρμενίου
μακρὸς ἐπὶ νότον εἰσι, πάλιν δ', ἀγκῶνας
[ἐλίξας,

ἄντην ἡελίοιο μέσσην Βαβυλῶνα περήσας,
Περσίδος εἰς ἄλδς οἶδμα θοὴν ἀπερένγεται
[ἄχνην,

ὑστατίης προχοῇσι Τερηδόνος ἐγγὺς ὀδεύων.
Τὸν δὲ μετ' εἰς ἀγὰς ποταμῶν ὠκιστος
[ἀπάντων

Τίγρις ἐϋρρεΐτης φορέει ῥόον ἴσον ἐλαύνων,

992. Ὅσση δ' Εὐφράτου καὶ Τίγριος ἔνδοθι γαῖα,
τὴνδε περικτίονες μέσσην ποταμῶν ἐνέπονουσιν.

1005. Πρὸς δὲ νότον Βαβυλῶν ἱερὴ πόλις, ἣν ῥά
[τε πᾶσαν

τείχεσιν ἀρραγέεσσι Σεμίραμις ἐστεφάνωσεν·

Eratosth. fr. 58. — διὰ τὸ τὸν Εὐφράτην μέχρι τινὸς πρὸς
μεσημβρίαν θύεντα πρὸς τὴν ἑω πολὺ ἐγ-
κλίνειν. — ἐντεῦθεν δ' ἐπὶ τὰς ἐκβολὰς
τοῦ Εὐφράτου καὶ πόλιν Τερηδόνα τρισχι-
λίους· — τὸν δὲ Τίγριν ποταμὸν καὶ τὸν
Εὐφράτην ῥέοντας ἐκ τῆς Ἀρμενίας πρὸς
μεσημβρίαν, ἐπειδὰν παραμείψωνται τὰ
τῶν Γορδυαίων ὄρη, κύκλον μέγαν περι-
βαλομένους καὶ ἐμπεριλαβόντας χώραν
πολλὴν τὴν Μεσοποταμίαν ἐπιστρέφειν
πρὸς χειμερινὴν ἀνατολὴν καὶ τὴν μεσημ-
βρίαν, πλέον δὲ τὸν Εὐφράτην· γενόμενον
δὲ τοῦτον ἔγγιον αἰεὶ τοῦ Τίγριδος κατὰ
τὸ Σεμιράμιδος διατείχισμα — θύεντα
διὰ Βαβυλῶνος, ἐκπίπτειν εἰς τὸν Περσι-
κὸν κόλπον.

Summam Euphratis a Tigride distantiam 2400 stadiorum computaverat Eratosthenes (fr. 102), quem eundem numerum Dionysius versibus 985 et 86 expressit, quum secundum Strabonem p. 35 uno die circiter trecentorum stadiorum iter conficiatur. Et periegetam in hac carminis parte ipsum Eratosthenem ducem secutum esse nec e Strabone illius praecepta repetivisse, argumentis confirmari potest. De Matianis enim, qui Dionysio minime ignoti sunt (v. 1002—4), satis exilis ad nos manavit memoria, Eratosthenem autem eos memorasse probatur e Strab. p. 513. Ex eodem Polybius 5, 44 populi sedes definivisse videtur, nam ab hoc quoque ut ab Eratosthene juxta Cadusios ponuntur. Quales sint illi montes, quibus sunt contigui, per Eratosthenem docemur dicentem: *Ματιανῶν ὑπὸ τὸν Παραχόαν*. Quum Strabo nihil nisi gentis nomen afferat in loco summo spatio disjuncto ab eo, ubi Eratosthenicam sententiam de Euphrate

et Tigride exposuit, nemo Dionysium apud Strabonem in Matianos casu incidisse contenderit, sed ex ipso potius Eratosthene illum sua hausisse manifestum est.

Inde a versu 1053 proponitur Persidis brevis descriptio, quae homines doctos maxime exereuit. Versus 1069 imprimis disputationum et conjecturarum copiam provocavit, nos in rebus tam dubiis vix quidquam proficere posse fatemur. Qua re ne incertis nixi fundamentis incerta proferamus, ad Indiae statim descriptionem nos convertamus. *Νότιοι Σκύθαι* ad Indum fluvium habitantes a periegeta v. 1088 memorantur, sunt iidem qui a Ptolemaeo (7, 1) *Ἰνδοσκήθαι* appellantur. Gentes illas Scytharum regno Bactrico anno fere centesimo tricesimo sexto everso primum huc migrasse et prope Indum consedissee constat¹⁾, ut tempus post quod Dionysii auctor sua scripserit indicatum sit. Nonnulla in hac Indiae quoque descriptione satis vitiose se habent, populi et amnes sunt commemorati, aliis scriptoribus ignoti, velut Satraidae, Magarsus; Acesinen ab Hydaspi excipi perverse narratur, alia, sed haec missa faciamus oportet, quum saepenumero Dionysium ipsum aut res perfudisse aut nomina non recte exhibuisse jam viderimus. Quod si memoria tenemus, nos effugere non potest, periegetae auctorem praeter rerum Alexandri scriptores imprimis Eratosthenem secutum esse. Paucissimi enim eorum qui Alexandri expeditionem scripserunt, quum ultra Hyphasin ille non progressus sit, de regionibus Indiae magis quam hoc flumen ad ortum sitis retulerunt, aut si retulerunt, fide minime digni esse videbantur (Arrian. Ind. c. 4 et 6). Qua re etiam periegetae auctor de illis terris brevissimus fuisse videtur, de Gange nihil dicit, nisi Indiae terminum eum esse orientalem, ad quem Gandaridae sedes tenerent. Dionysius sane terrarum orbem ita concludere noluit. Ut omnino aptum transitum ad extremos terrae fines sibi pararet, Hypanim et Magarsum (?) ad Gangeticam Indiae partem provolventes fecit atque id quam maxime egit, ut idoneos totius terrae

¹⁾ Benfey in Ersch. u. Grub. Encycl. sect. II. XVII. p. 78.

terminos ~~ac fines~~ ~~(proponeret.)~~ Cui quid melius contingere poterat quam Aornis petra tanta magnitudine, ut ne aves quidem cacumina ejus attingere possent, et Bacchicae columnae, quas ad Indum Alexandri rerum scriptores posuerant. Has igitur ad extremam Indiam removit poeta, ut et terrarum orbi et carmini justum finem imponeret. Ubi autem minus ex libidine Indiae geographiam persecutus est, luculenter apparet, auctorem illius Eratosthenis sententiam praecipue amplexum esse, qui et ipse rerum Alexandri scriptores consuluerat. De Indiae figura rhombi simili conferatur Eratosthenis frag. 108. Indum a Caucasio ortum duobus ostiis in mare meridionale exire et Patalenam insulam complectere, exponit Dionysius v. 1090–93 = Erat. ap. Strab. p. 690 ¹⁾. Inde a versu 1096 Oritae, Aribes, Acharotae, Satraidae, Paropamisadae recensentur, quae gentes omnes Ariarum nomine dicantur pergitque poeta v. 1099:

οὐ χθόνα ναιετάοντας ἐπήρατον, ἀλλ' ὑπὸ λεπτῇ
ψάμμῳ πεπληθυσίαν ἰδὲ δώπεσσι δασεῖαν

Quorsum haec spectent liquet; cogitatur enim de Gedrosia per quam Alexander cum exercitu iter difficillimum fecerat extremaque verba suam sibi petunt explicationem ex Arr. Anab. 6, 22: *Καὶ ἄλλον εἶναι καυλὸν ἐκ γῆς πεφνυκότα ἀκάνθης, καὶ τοῦτω ἐπεῖναι ἰσχυρὰν τὴν ἀκανθάν, ὥστε ἤδη τινῶν καὶ παριππευόντων ἐμπλακείσαν τῇ ἐσθῆτι κατασπᾶσαι ἀπὸ τοῦ ἵππου μᾶλλον τι τὸν ἱππέα ἢ αὐτὴν ἀποσχίσθῃναι ἀπὸ τοῦ καυλοῦ.* Prorsus autem eodem modo quo Dionysius etiam Eratosthenes (fr. 115) Arianae tractum definivit. Is quem Plinius secutus est aliter statuuisse videtur, sed Plinius quoque VI, 78 addit: — Gedrosos, Arachotas, Arios, Paropanisadas, ultimo fine Cophete fluvio, quae omnia Ariarum esse aliis placet. Hoc igitur patet, Dionysii auctorem praeter Indoscythas nihil attulisse novi ei narrationi, quam rerum Alexandri scriptores et Eratosthenes exhibuerant. Jam quaeritur quis ille fuerit, ad cujus auctoritatem Dionysius se adjunxerit. Post Eratosthenem de In-

¹⁾ Vogel, de font. Strab. in lib. XV. Gotting. 1874. p. 7.

dia imprimis scripserunt Isidorus, Artemidorus, Apollodorus Artemitenus. Ne de Isidoro et Artemidoro tamquam Dionysii auctoribus cogitemus, plura obstare videntur. Isidorum enim praecipue a Plinio usurpatum esse Oehmich. l. c. ostendit, Plinius autem Indoscytharum nullam omnino fecit mentionem. Dein ex loco Pliniano, quem modo adscripsi, colligitur alium esse illius, alium Dionysii auctorem, nam non ei quem sequebatur Plinius ita ut periegetae de Arriana statuere placuit, sed aliis quibusdam. Artemidorus deinde, quem Isidorus adhibere solet, de Indiae Gangetica imprimis regione plura nova tradidisse Strabo p. 719 testatur, sed haec ab eo tam confuse esse disputata, ut eorum ratio non habenda sit. Quum vero de hac ipsa Indiae parte auctor Dionysii brevissimus fuisse videatur et in toto reliquo carmine Artemidori vestigia apparuerint nulla, hunc poetam ante oculos habuisse nego. Restat Apollodorus Artemitenus, ex quo Dionysium sua hausisse, veri simillimum esse credo. De iis enim quae Apollodorus de India retulit haec scribit Strabo p. 686: οὐδὲν δὲ προσανακαλύπτει τῶν πρότερον ἔγνωσμένων. Repetivit igitur ille in universum priorum geographorum narrationes, rerum Alexandri scriptores et Eratosthenem intelligo. De Indoscythis autem illum, Parthicae historiae auctorem, verba fecisse certissimum est, quum regno Bactrico everso fieri non potuerit, ut Scythae in Indiam progredientes cum Parthis non concurrerent. Qua re Apollodorum Dionysium in Indiae descriptione secutum esse dicere audeo, cujus librum jam antea a poeta in usum vocatum fuisse supra demonstravimus.

Haec habui quae de fontibus Dionysii periegetae disse-
rerem; restat ut quid eruisse mihi videar, sub uno aspectu
proponam.

v. 1—7; 271—78; 620—22; 627—41; 887—93 (totius terrae
figura et magnit.)

Posidonius.

v. 26—111; 130—68 (omnium marium enarrat. Ponti de-
script.)

Posidon. (nonnulla a Dion. ipso sunt inserta)

- v. 541—611 (Ponti et maris externi insulae)
Posidon.
- v. 7—25 (Continentium partitio)
Posidon. (?)
- v. 112—29; 910—17; 847—76; 508—12 (Aegyptium et
Phoenic. mare, Issicus sinus cum insul. et oris marit.)
Periplus.
- v. 298—301; 308—15; 652—700 (Ponti reg. et gentes septentr.)
Fons vetustissimus.
- v. 302—7; 316—29; 1031 (Ponti accol. Thraces, gemmae)
Metrodorus Scepsius.
- v. 174—218 (Libya)
Strabo.
- v. 219—224 (Nilus)
Eratosthenes.
- v. 225—268 (Aegyptus)
Dionysius, cui etiam plerumque debentur gemmarum,
rerum Bacchic. templorum et sacror. descript., quas
iis addidit, quae e fontib. geograph. desumpserat.
- v. 330—38; 450—55 (Iberia)
Eratosth.
- v. 339—382 (Italia)
Ephorus.
- v. 383—397; 456—495 (Adriat. maris orae et insulae)
Apollodorus Athen.
- v. 398—446; 496—507; 513—38 (Graecia, Aegaei maris insulae)
Callimachus, Strabo, Poetae Alexandr. (?)
- v. 718—60; 1016—52 (Caspia maris accol. et reg. Parth.)
Apollodorus Artemitenus.
- v. 761—808 (Ponti accolae meridionales)
Apollonius Rhodius.
- v. 809—838 (Asiae min. latus occid.)
Strabo.
- v. 877—909; 918—26 (Syria)
?
- v. 927—69 (Arabia)
Strabo.

- www.libtool.com.cn
- v. 976—1013 (Euphrates et Tigris)
Eratosth.
- v. 1052—1079 (Persis)
?
- v. 1080—1165 (India)
Apollodorus Artemitenus.
-

CORRIGENDA.

- Pag. 8, v. 24 lege „coarctatam“ pro „coarctatum“.
- Pag. 17, v. 25 lege „μεχρη“ pro „μεχρη“.
- Pag. 32, v. 17 lege „septentriones“ pro „septrentiones“.
-

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

Gd 41.90

De fontibus Dionysii Periegetae /

Widener Library

005028384



3 2044 085 111 805

www.libtool.com.ca